

82. Quod si enim massa illa, quae humanam naturam constituebat, vel constituere debuit, paulatim per additamenta, formata est, & sic more ceterorum hominum, nunc secundum hanc nunc secundum illam partem perfici & absolvi necessum habuit: Consequens erit, non integram naturam humanam, sed tantum brutam adhuc, & actu inanimem sanguinis particulam, λόγῳ fuisse unitam: id quod prodigiosè est absurdum,

83. Deinde si per intervalla temporis humana Christi natura formata & perfecta est: Consequens erit, prius illam à λόγῳ assumptam quàm formatam esse: Quod ipsum rursus est παραδοξότατον.

84. Tum si per intervalla temporis formata est: Consequens erit, aut prius illam formatam & absolutam fuisse, quàm unitam: aut dandum tempus, quo natura humana nondum perfecta & absoluta, in persona τῆς λόγῳ extiterit. Sed utrumque rursus extremè est impium & absurdum. Nam si prius formata, quàm unita est; tum prius etiam substitit, sive τὸ εἶναι suum habuit, quàm λόγῳ coniuncta est. At non prius substitit: Sic enim extra ὑπόστασιν λόγῳ aliquando extitisset, quod cum fide Catholicà è diametro pugnat. Sic enormis impietas & blasphemia foret, asserere, non integram, sed adhuc imperfectam naturam humanam, mox à primo Unionis momento in personam Christi extitisse. Qua